Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26228
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Item Iohannes crisostomus. Lacrime lavant. quod pudor est confiteri. et ali-
as multas auctoritates allegant. Alii e contra dicentes testantur
sine confessione oris. et satisfactione operis. neminem a peccato
posse liberari. Unde dominus per prophetam ait. Dic tu iniquitates tuas
ut iustificeris. Item Ambrosius. Non potest quisquam iustificari a peccato.
nisi fuerit ante peccatum confessus. et in hunc modum plurimas auc-
toritates adducunt. Nos autem tante copiam auctoritatum hinc
inde concertantium fastidientes. huius non controversiam determina-
mus. Sola cordis contricione dimittuntur peccata. si confitendi
ore tempus non habuit. et satisfaciendi opere. Quod volunt auctori-
tates Iohannis crisostomi. Ambrosii. atque prophete. et ceteri his con-
sonantes. Dicimus et quod peccata non dimittuntur. sola cordis
contritione. si tempus confitendi. et satisfaciendi habuit.

Nemo vel in foro id est in iudicio magnitudinis tue vel in provin-
ciali iudicio. id est iudicio presidis provincie. accedat ad toga-
torum consortium. id est iudicium. qui utebantur veste que toga
dicebatur. Officium quoque sublimitatis tue. id est officiales tui. quorum
erat talia discutere. vel officium tue sublimitatis. id est tui.
cuius est sublime officium. et infra. Stilum proscriptionis. id est sententiam
scilicet ut sua bona fisco denotentur. Item. Si quis tam masculum quam
feminam. et cetera. usque ad temptaverit. Attemptare est blandis
verbis aliquem allicere. ut faciat hoc vel non faciat. Item. Si quis
pulsatus quidem non est. Pulsare est sine dolore cedere. verberare
est cum dolore cedere. Item. De extraordinariis criminibus.
Extraordinaria crimina sunt. que extraordinaria pena coher-
centur. Extraordinaria pena est. que in legibus statuta